



Ihil jucundius, nihil gratius, nihil acceptius magis sub  
auspiciis novi anni in auribus nostris resonare potest,  
quam nomen supra omne nomen, Jesu. Hoc enim,  
verba Bernhardi ex serm. XV. super Canticum repeti-  
mus, *lucet prædicatum: pascit recogitatum: invocatum*  
*lenit & ungit. Percurramus singula. Unde putas in-*  
*toto orbe tanta & tam subita fidei lux, nisi de prædi-*  
*cato Jesu? Nonne in hujus nominis luce, Deus nos vo-*  
*cavit in admirabile lumen suum; dicat merito Paulus, fuitis aliquando te-*  
*nebrae, nunc autem lux in Domino &c. Nectantum lux est nomen Jesu, sed*  
*& cibus. Annon totiens confortaris, quotiens recordaris? Quid*  
*aque mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat*  
*sensus; virtutes roboret, vegetat mores bonos atque honestos, castas fo-*  
*vet affectiones? Aridus est omnis anima & cibus, si non oleo illo infunditur. Insi-*  
*pidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum.*  
*Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in*  
*ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est & medicina. Tristatur aliquis*  
*noster? Veniat in cor Jesus, & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis*  
*lumen, nubilum omne diffugit, reddit serenum. Labitur quis in crimen, currit*  
*insuper ad laqueum mortis desperando? nonne si invocet nomen vita, con-*  
*festim respirabit ad vitam? Cui stetit aliquando ante faciem salutaris no-*  
*minis duritia, ut assolet, cordis, ignavia & torpor, animi rancor, acedia & languor?*  
*Cui fons forte siccatus lacrymarum, invocato Jesu non continuo erumpit*  
*überior, fluxit suavior? Cui in periculis palpitanti & trepidanti invocatum*  
*virtutis nomen, non statim fiduciam praestitit, metum depulit? Cui quoq[ue] in*  
*dubuis astuanti & fluctuanti non subito ad invocationem clari nominis*  
*emicuit certitudo? Cui in adversis diffidenti jamjamque deficienti si nomen*  
*adjutorii sonuit, defuit fortitudo? Nimirum morbi & languores animi isti*  
*sunt, illud medicina. Denique & probare licet: Invoca me, inquit, in*  
*die tribulationis, eruam te & honorificabis me. Id nomen dulcissimum,*  
*vivificum, salvificum, quod Bernhardus ipse percepit & prædicavit aliis, sen-*  
*sit quoque invita, & in morte invocavit Matrona nobilissima, Domina CA-*  
*THARINA nata Schacheria, cuius honoratissimam memoriā non san-*  
*ctius suaviusque conservare apud suos aliosque novimus, quam si Jesu aman-*  
*tissimam fœminam sistamus. Natalitus ei dies fuit vigesimus octavus Augu-*  
*sti, quo An. c150cxxxv. hic Lipsiae in lucem prodiit, parentibus orta spe-*  
*ctatissimis. Parens enim fuit Dn. Quirinus Schacher, Senatorii Ordinis*  
*Vir, Ædilis Senior, Templi & Scholæ Thomanæ Antistes, Mater Dn. Aga-*  
*tha, Dn. Davidis Wrieffpfennigii, Civis & Mercatoris inter primarios, &*  
*Signiferi filia: Avum autem habuit Dn. Hartmannum Schacherum, Senatus*  
*Seniorem & Mercatorem, Aviam Dn. Magdalenam, Dn. L. Mauriti Stein-*  
*metzii, Facultatis Medicæ Senioris & Mathem. P. P. filiam. Mox ut na-*  
*ta fuit, in Baptismatis sanctis aquis renata Jesum induit, quem deinde ex pa-*  
*rentum præceptorumque institutione & exemplo melius nosse, colere, ama-*  
*reque didicit. Amorem istum precum, castitatis, modestiae, aliarumque vir-*  
*tutum exercitia, in quibus adolevit, conservarunt. Inter quæ simul ad re-*  
*gendæ familiæ curam, fideliter assuefacta est, donec de voluntate & senten-*

1712

tia